



Disputatio juridica inauguralis de usucaptionibus

<https://hdl.handle.net/1874/342429>

9.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USU CAPIONIBUS,
Q V A M,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Auctoritate Magnisci D. Rectoris,
JOANNIS GEORGII GRAEVII
Politices, Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.
N E C N O N
Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
rite & legitimè consequendis,
Eruditorum examini subjicit
WILHELMUS ROELSIUS, Mediob-Zeeland.
A. D. 17. Junii, horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc Ioc xc.

Clarissimo, Spectatissimo,

D. D. WILHELMO de JONGE ,

J. C. Domino in Brunisse , Botlant , &c. olim civitatis Zirizeanæ Consuli , ummo Schaldiaæ aggerum præfecto , nunc ejusdem civitatis Senatori , Sælandiaæ ad cameram rationum deputato , Avunculo meo , Patrono benignissimo ad ultimum Spiritus mei halitum honorando colendo & de studiis meis quam maxime merito tutori venerando.

N E C N O N

Excellētissimo , Clarissimo ,

D. D. ANTONIO HOFFERO ,

J.C. olim Consuli &c. nunc Senatori , ad potentium Ze landiaæ ordinum præclara Comitia & Collegii Architalassifici , quod est Medioburgi deputato . Cognato meo Patronoque clementissimo in ultimum fati diem venerando , prosequendo.

U T E T

Præstantissimo , Doctissimo

D. D. MARINO SMALLEGANG ,

J. C. Zælandiaæ ad cameram rationem assessori Tutori meo plurimum observando , colendo.

Huius qualescumque Theses Juridicas quo par est animo

D.D.D.D. O.I.H.O.

WILHELMUS ROELSIUS , Auct. & Resp.



PROOE MI U M.



*Uam magna è discordiis civium
detrimenta traxerint Republicæ
nemo est qui nescit, hinc tot popu-
lis in parentum, conjugum,
& sui demum extium flagrans
furor armamenta suppeditavit,
hinc contra viscera sua Arma-
tæ tot manus incitata pectora, hinc Reipublicæ
æterna oblivio, urbibus incendia, magistratum
contemptus, privatis injuria, quid detractis justi-
tiae ornamenti indutam Avaritiam proferrem,
cum depulse etiam securitatis possideat armata
audacia has pestes, amove hos culubros perimis O glo-
riosissime Imperator Justiniane; postulat hoc Rei-
publicæ utilitas, expetit necessitas: vestra ideo ma-
jestas benignissima non unius tantum Reipublicæ,*

A 2

sed

*sed & Regni, imperii, totiusque terrarum or-
bis æquissimis legibus dissipavit discordias concor-
diam stabilivit: inde Armis mortiferis spoliatus
furor, inde ornata Justitia, depulsa inde Au-
daciâ, secura possessio, unicum concordiæ inter
cives vinculum, unicum laborum solatium. Hu-
jus arma sunt Leges restræ harumque partus est
propugnaculum Ufucapio, possessio legitima, quid
ni Reipublicæ salutifera: cur non etiam necessa-
ria hanc pro modulo ingenii mei accipies (quisquis
clarissime Lector quod si hanc minus quam par sit
defensam reperias, scias non æque Tyrones
quam veteranos Legum Armis assuetos esse.*



D I S-



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
USUCAPIONIBUS.

THESIS I.

Questione de *Etymologiâ* omissa Dominii
adquirendi modos constituo vel juris gen-
tium vel *Civilis*, cuius postremi refertur
Usucapio quæ ergo est modus adquirendi
dominii jure civili, non jure gentium
quod non vult rei alienæ dominium invi-
to domino transferri, quare nunquam
Usucapio jure Naturali introducta cum
ante distinctionem dominiorum ea opus
non erat audio illud *Satyrici*

*Quippe aliter tunc orbe Novo cæloque recenti
Vivebant homines illis cum frigida parvas
Præberet spelunca domos ignemque laremque
Et pecus & dominos communi clauderet umbra.*

A 3

& ut

6 DISPUTATIO JURIDICA

& ut inquit Naso ; erant sine judice tui jure itaque civili ita imperator princip. inst. b. t. jure civili constitutum fuerat &c. in distinctionem dominiorum l. 1. ff. eod. nihil ergo iniqui , ut volunt aliqui possidet, bono enim publico introducta d. l. 1. ff. usui Reipublicæ bene constitutæ Novell. 111. & 13. Cap. 6. quare Orator pro Cœcina finem sollicitudinis & litium vocat, quod & in lege ultim. ff. princ. pro suo non impium ergo est Usucapio præsidium nisi male utentibus & sic intelligenda Novell 9. neque sit domino injuria quia qui rem quam sciens non possidet rem suam rejicere videtur. l. 28. ff. de V. S. nec omittam quod jus civile vigilibus scriptum sit l. 24. in fine ff. que in fraud. cred. Hæc ita de justificatione.

I I.

Usucapio definitur Adjectio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti l. 3. ff. b. t. dixi adjectio dominii, dominium est plena in rem potestas §. ultim. instit. de usufr. nisi quid vi aut jure prohibetur. l. 21. C. mandati vel contr. hoc adjectit Usucapio , quia si rem amittat Usucapiens casu fortuito , habet rei vindicationem l. 8. C. de prescript. 30 vel 40 Annorum quam non haberet si plenum dominium ipsi non esset acquisitum, est enim reivindicatio in rem actio , & competit ipsi qui aut jure gentium aut jure Civili dominus est l. 23. ff. de rei vindict. præterea quod dominia rerum Usucaptionibus transferantur tradit l. 20. C. de partis & l. 24. Cod. de reivind. dixi per continuationem possessionis, primo ergo videndum quid sit possessio est detentio rei §. 4. & 5. instit. de interdictis, Animo sibi habendi : l. 2. Cod. de prescrip. 30 vel 40 annor. potest hæc retineri per quem libet puta servum vel procuratorem §. 5. institut. de interd. hanc intelligo Civilem possessionem quæ scilicet jure consistit l. 10. Cod. de vndiqueren. possit id est cui justa quedam causa adest puta ex emtione, vel donatione vel alia simili jure adquirendi dominii : itaque distinguuntur in eo à possessione corporali quæ etiam sine justa causa invenitur in illis qui vi aut clam possident l. 1: §: ult in ff: ut: possed: fit

sic prædo non jure possidet sine allegatione justæ causæ, quoniam interrogatus cur possideat nihil aliud respondebit quam quia possideo ut appareat ex lectis conjunctim Legibus l. 11. §. 1. l. 12. l. 13. priuc. ff. de petition hæreditatis, ita quoque removetur hoc casu possessio quæ reperitur in depositario, commodatario & conductoribus qui quia non animo sibi habendi possident reverâ non possident, sed esse in possessione dicuntur. l. 9. ff. de rei vind. Huc etiam refer l. 12. l. 49. ff. de adquir. vel amitt. poss. civilis ergo possessio Usucaptioni necessaria l. 2. C. de prescript. 30. vel 40. Annor. & hoc adeo ut sine possessione inquit Lucinius Usucapio contingere non possit l. 25. ff. de usucap. continua ante & non interrupta esse debet §. 7. instit. de usucaption. alias non continget.

I I I.

Continuatur possessio inter defunctum primo & heredem si ambo fuerint in bona fide (de qua inferius) vel defuncto modo adfuerit §. 12. instit. de usucap. quare & jacente hæreditate impleri potest Usucapio l. 40. ff. eodem, quod non procedit si defuncti mala fides fuerit, dicto §. instit. eodem etiamsi Heres bona fide gaudeat, nam vitia possessionum a majoribus contractu perdurant & successores Auctoris sui culpa comitatur l. 11. C. de adquir. vel amitt. poss. huc etiam pertinet regula juris 62. reg. 177. secus est in successoribus particularibus quo casu obtinet l. 5. ff. de divers. & tempor. prescrip. l. 14. ff. §. 2. eod. Hac occasione (quamquam per eam Usucapio esse definit & sic ultimo loco possit explicari. Usurpatio) aliquid erit attingendum de interruptione Usucaptionis uti definitur Usurpatio in l. 2. ff. de Usucap. & usurp. contingit hæc vel invitis nobis, vel volentibus veluti si quis pro herede possidebat fundum, ante finitam scilicet Usucaptionem, domino ipsi locaverit & quamvis nullius momenti sit locatio, longi quoque temporis prescriptio non durabit l. 21. ff. de Usucap. & præterea si inpignus res domino tradita sit l. 33. §. 5. invitis vero contingit cum quis rem creditori non domino pignori dederit & is creditor alii tradiderit quod simile est rei commodatae autà depositario depositæ alii traditæ

l. eadem

8 D I S P U T A T I O J U R I D I C A

l. eadem §. 4. sic quoque in rebus immobilibus cum vi de possessione dejicimur *l. 15. de adquir. posses. l. 5. ff. de Usuc. & Usurp.* Hæc de rebus corporalibus quid de incorporealibus sit dicitur in lege 4. §. 27. *sviūm ff. de Usucap. & Usup.* generaliter circa interruptionem hanc non inelegans est quæstio inter. Dd. an civilis ut vocant interruptio per litis contestationem causaretur quod aliqui adfirmant per *legem 10. Cod. de adquir. vel amitten. poss.* quæ sententia mihi aliqua ex parte arridere non potest, difficultatem movent verba hæc Constantini in lege citatâ, *cum inquit possessorem dici non posse*, qui ex interpositâ contestatione & causa in judicium deductâ super jure possessionis Vacillet ac dubitet. Hoc Opus, hic labor est! Ita tamen respondeo, concedendum esse si ad eventum rei respiciamus eum non posse intelligi possessorem scilicet si evincatur, quia ille a quo evin- citur ab ipsa litis contestatione verus fuisse dominus intelligitur, verum ab initio non posse dici eum possedisse desinere quod ideo si non evincatur possessor, per moram litis Usucaptionem suam im- plere non impeditur *l. 2. pro don. l. 2. §. 21. ff. pro emtore*, quod ta- men ita si a non dominolis cum possessore fuerit contestata, curret Usucapio, adeo ut si post litis contestationem completa sit Usu- capio verus rei dominus superveniens contra possessorem actionem non exerceat, preterea mala fides superveniens *l. 48. ff. de adquir. rer. dom.* ne quidem nocet, multo ergo minus mora litis quod veritatis esse non nego, in his ergo mihi observanda videtur *l. 14. ff. de div. & tem. præscript.* itaque concludo possessio re vera non interrum- pitur per litis contestationem, sed per eventum litis vel cursum sistit vel non, ulteriusque progreditur & continuatur. Hæc ita defi- nitionis explicatio nisi quod tempus legitimum ultimo proponere censui ergo ad requisita quæ omnia hæc sunt Bonafides, *Justus ti- tulius, res que Usucapi, & persona qua Usucapere possint.* Primo de Bonafide.

IV.

Bona fides est illesa rei alienæ conscientia *l. 109. V.O. ad Usuca-*
piendum sufficit ab initio id est traditionis tempore l. 48. §. ff. de
acq.

adq. rer. dom. l. unc. de Usuc. transform. circa finem; quod initium traditionis & non contractus inspiciatur constat ex l. 15. §. ultm. & l. 44. ff. §. 2. de Usuc. & Usurp. Hoc tamen in emtionibus patitur exceptionem, quare & traditionis & contractus tempus inspicitur l. 48. in fine ff. de Usuc. & Usurp l. 2. princ. ff. pro emp. hic tamen ius Canonicum recedit a jure civili, jure enim Canonico omnibus in contractibus per totum tempus requiritur bonafides Cap. fin. extra de præscr. etiam si præscriptio sit centum annorum cap. 5. eodem, jure vero civili non procedit hoc casu juris error ut distincte refertur in lege l. §. 15. ff. pro emp. nunquam enim in Usucaptionibus error juris prodest l. 31. ff. de Usuc. & Usurp. quamquam diversum sit in hæreditatis petitione ubi hereditatis prædones per errorem juris in mala fide non censemur l. 25. ff. §. 6. de hered. petit. in fine. Sequitur justus titulus qui (ut in thesi secunda diximus) possessionem juris efficit est enim justa possessionis causa hadibis ad transferendum dominium l. 31. ff. de adq. rer. dom. in Usucaptionibus necessaria l. 24. C. de rei vindic. intellige rerum corporalium, aliter enim obtinet in servitutibus ubi necessaria non est l. ff. si servit. vind. modo quis bona fide possideat l. 13. §. 1. ff. de adq. poss. cum exclusione tamen servitutum personalium ut Usufructus quoniam est pars dominii l. 4. ff. de Usufr. hæc causa constituitur vel a privatus ut tituli pro emptore, pro donato &c. vel a judice adjudicando ut sit in judiciis divisoriis in alienis fundis tamquam communibus. l. 17. ff. de Usuc. & Usurp. vel tertio a magistratu iuste enim possidet qui autore prætore possidet l. 11. ff. de adq. poss. vel denique a nullo productetur Naturali rerum conditio sicuti cum occupamus rem quæ nullius est, lege 2. ff. profuso. videamus ergo de rebus.

V.

Omnes res quæ possunt alienari, Usucipientur tam corporales quam in corporales lege 9. & l. 4. §. ultm. ff. de Usuc. & Usurp. nisi quod servitutes quasi Usucipientur l. 1. 2. Cod. de servituibus. Hæc ergo ita procedent si res vitiosæ non sint, vitiosa dicitur res quæ Usucaptionem excludit ob sui legibus comprobatum impedimentum,

B tum,

10 DISPUTATIO JURIDICA

tum, quales Usucaptionem non recipiunt res sanctæ, sacra & Religiose §. 1. Institut. de Usuc. liberi Homines l. 9. ff. eodem, item res populi Romani & civitatum qua publicæ sunt quia juri publico non debet obesse præscriptio, l. 6 Cod. de public. Operib. quod non debet intelligi de temporis longissimi præscriptione l. 4. Cod. de præscrip. 30. ann. ita quoque non Usucapiet quis res fisci, nisi sint bona vacantia & nondum fisco annunciata §. 9. inst. de Usuc. l. 18. ff. eodem & hoc quidem intra quadriennium l. 1. Cod. de quadr. præscrip. non vero obtinet in aliis fisci causis l. §. præscriptio. ff. de jure fisci & l. 13. ff. de diver. & temp. præf. clarissime indicat. Item res furtivæ Usucapi nequeunt §. 2. inst. de Usuc. neque a fure quia est in mala fide, neque a quoconque bonæ fidei possessore propter rei vitium §. 3. inst. eodem quod etiam obtinet in servo fugitivo donec infugia est l. C. de se vis fugitiivi. Difficilis præterea est quæstio, an partus Ancillæ furtivæ a bonæ fidei possessore Usucaptionem admittat quod ita decidendum vel Ancilla concepit antequam surrepta fuit & partum edidit apud furem vel furis hæredem, vel bonæ fidei possessorem & sic non Usucapitur lege 48. §. ancilla, ff. de furtis l. 4. heres. ff. de Usucap. & l. 1. §. 1. ff. de ventre inspici. quod etiam locum habet si apud furem concepit, vel si bonæ fidei emptor tempore conceptionis vel partus apud eum existentis in mala fide fuerit, immo si tantum post partum talem editum, ante impletam Usucaptionem non ignoraverit ancillam furtivam, ejusque dominum certiorem facere potuerit, Usucapio non procedet, tunc enim clavis possidere videretur: verum clavis simul & pro suo nemo possidet l. 4. ff. pro suo, cessat itaque causa, etiamsi a principio bona fides extiterit; si ergo bonæ fidei emptor & tempore conceptionis & partus editionis ancillam furtivam bonâ fide nesciverit dominoque indicare nequiverit, etiamsi furtivam præsciat, post partum editum Usucapiet d. l. 4 atque cum hac distinctione conciliandi sunt loci legis 4. ff. de Usuc. §. 16. cum lege 9. & 10 ff. pro emptore secundum legem 4. §. 18. ff. de Usucap. in pecudibus tamen est differentia, quo ad editionem foetus apud bonæ, fidei possessorem vel emptorem, non quo ad editionem apud furem l. 48. §. 5. & 6. ff. de furis quia ex equis nati, quoniam in fructu sunt, statim fiunt bonæ fidei

fidei possessoris, §. 6. d. l. quamquam apud furem concepti, quid
aperte videtur de lana ovium furtivarum l. 4. §. 19. ff. de Usuc. hic
etiam posset quasi furtivum referri quod *præsidii* vel *proconsuli* contra
legem repetundarum datum est quod venditum nequaquam Usuca-
pitur antequam in potestatem ejus a quo res est profecta Hæreditis ve-
ejus pervenerit l. 8. ff. ad l. *Juliam repetund.*

V. I.

Regulæ vim obtinet, res furtivæ nisi in domini potestatem re-
versæ, non præstant Usucaptionem §. 3. *instit. de Usuc.* quod ita in-
telligitur, ut si, res pupilli sit quæ Usucapi nequit l. 48. *vers. ve-
luti si ff. de adq. re m. dom. cum* redierit ad tutorem vel curatorem
domini, hoc scientem, sic ut avelli non possit, Usucaptionem ad-
mittet. l. 4. §. 11. & 12. ff. de Usuc. si vero res non sit pupilli vel furioso*s*
intellige ipsius domini potestatem §. 6. *legis 4. ff. de Usuc.* vel in his
omnibus cum reddiisse fingitur si dominus forte nactus sit rei æsti-
mationem l. 84. & 86. ff. de furt. Hinc commodatario & similibus
erupta ad *douinum* non vero *commodatarium* reverttere debet l. 4.
§. 6. ff. de Usuc. nisi dominus debitor ipse surripuerit rem pignori
datam, hoc enim casu ad creditorem reverttere cogitur l. *ultim. ff.
eodem.* ideoque antequam pignus ad creditorem fuerit reversum a
debitore surreptum non procedet ejus rei Usucatio l. 6. *Cod. de Usu-
capiro eratore* l. 4. §. 21. ff. de Usuc. l. 5. ff. *pro emp.* preterea & res
immobilis dicitur vitiosa si vi possessa fuit l. 4. §. 22. ff. de Usuc. quæ
etiam purgatur modo potestate ejus possessor gaudeat l. 4. §. 26. ff.
eod. Idem contra res Dotales apud maritum existentes non curret
Usucatio, nisi jam antequam *dotales factæ*, cœperat l. 4. ff. de fund.
dotæ. l. 16. ff. *eodem* his adjice secundum aliquorum sententiam bona
liberorum adventitia sub potestate parentum existentium l. 4. *in fine
Cod. de bon. quæ liberis.* Legata sub conditione, sub die certa vel
incerta, vel pure relicta l. 3. *in fine Cod. communia de legatis & alia
quæ* (quia breviter proposui) omitta plura. Hæc ita de rebus
restat ut de personis agamus.

VII

Quoniam ut demonstratum est dominium adjiciat Usucapio concedendum, erit posse Usucapere omnes quibus dominium acquirere permisum est sive sit pater familiæ sive filius familiæ. l. 4. §. 1. ff. de usuc. maxime miles in castris adquisitum Usucapiet inquit Jurisconsultus in §. citato, pupillus etiam si tutoris Autoritate possidere ceperit, vel sine ejus Autoritate modo animum possidendi habeat quod & de eo qui infantia major vel infantia est proximus cum per stipulationem dominium eum adquirere conceditur §. 10. instit. de inuit. stipul. furiosus quoque Usucapit modo ante furorem ex justa causa ex qua Usucapio sequitur possidere ceperit l. 4. §. 3. ff. de usuc. & redditur de ea re ratio fn. l. 44. §. 6. ff. eod. neque potest furiosus possidere desinere l. 27. ff. de adq. vel amitt. poss. hoc tamen non sequitur in eo qui ab hostibus captus nisi per servum cum apud Hostes fuerit dominus incepit Usucapio, proderit enim domino si reversus fuerit, quod si ibi decedat proderit successoribus l. 15. ff. de usucap. atque ita si servus ex causa peculii (quod omne domino etiam ignorantia adjicit) aliquid adquirat per legem 8. ff. princ. eodem si vero non ex causa peculi domino nihil adfert nisi vel scientia domini aut (in filio) patris scientia hoc ante captivitatem per filium aut servum fuerit possessum quod colligere est ex lege 44. §. ultim. ff. de usuc. quod etiam per Ancillam procedet §. 12. per eum qui nobis bona fide servit §. 6. per servum communem §. 7. & per eum in quo Usumfructum habemus §. 8. legis prima ff. de adq. vel amitt. poss. super est ut Novissimo de tempore legitimo dicamus.

VIII.

Tempus legitimum est legibus definitum spatium ad perficiendam usucacionem introductum. Quod in rebus mobilibus triennium, in immobilibus vero inter quos & servitutes omnes numerantur (quia tantummodo soli rebus annexæ sunt) per decem annos inter presentes, per viginti vero inter absentes quasi usucapientur, l. 13.

*l. 13. Cod. de servitut. l. 2. Cod. eodem & lege 16. §. 1. in fine Cod. de usufructu & aquâ. Sic quoque revera ceteræ res immobiles usufru-
pi posse princ. init. de usuc. & l. unic. Cod. de usucap. transfor. con-
stitutum est, qua constitutione sublata est interres mancipi & nec
mancipi differentia quæ distinctio quia antiqua merito per impe-
ratorem antiquatur; præterea præscriptio in Provincialibus tan-
tum, usucapio vero in Italicis soli rebus, sed & hæc repulsa est
distinctio quod omne colligitur ex dicta lege unica C., dixi in re-
bus immobilebus requiruntur anni decem inter præsentes inter ab-
sentes viginti præsentes indicamus qui eadem in provincia lares suos
colunt, sed si potentis vel possidentis eadem in provinciâ non sit
domicilium, absentes dicimus nec animadvertisendum an res quæ
desideratur inveniatur eadem in provincia nec ne L. finali Cod. de
præscript. longi temp. hoc itaque regulariter in usucapione de legi-
timo tempore definitus quamquam in aliquibus hoc non ita de-
ciditur ita triginta anni desiderantur in casu quo quis ab alio mala
fide possidente rem emerit & bona quamquam fide possidet si
versus rei dominus ignorat quia res ei competit & quia alienatio
facta est. Novell. 119. Cap. 7. in fine. sic datur præscriptio qua-
triennii ad bona ut diximus vacantia contra fiscum lib. Cod. de
quadr. præscript. conceditur & præscriptio quinquennii quæ exclu-
dit actionem adulterii l. 5. Cod. ad leg. Julianam de adulteriis, inju-
riarum actio anno finitur, l. 5. Cod. de injuriis &c. Hoc autem
tempus non sufficiet nisi etiam continuum sit ac completum sed
non computandum à momento ad momentum, verum ultimus
anni dies incipiens pro completo habetur l. 6. & 7. ff. de usuc.,
si vero quis aliquo tempore præsens, temporis intervallo rursus
absens, in præscriptione decennii, intervallo absentie adjicetur
decennium Novell. 119. cap. 8. nihil hic de temporis longissimi
præscriptione quæ (ut speciales tituli pro emtore pro donato &
alii) alterius materiæ recte æstimator ita enim inquit lyricarum
princeps flaccus.*

*Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum Sylvis appingit, fluctibus aprum.*

COROLLARIA.

I.

*Lex falcidia in legatis Deo relictis locum
sibi vindicat.*

I I.

*Fidejussor in majorem summam acceptus
quam reus principalis , non tenetur ad
concurrentem.*

I I I.

*Filii in dispositione positi censentur , si in con-
ditione intelligantur.*

I V.

*Tutor ob dolum & latam culpam remove-
tur suspectus cum infamia.*

V. Fi-

V.

Filius sine justa causa exheredatus post agnatum in testamento patris relictum legatum , quarelam instituere non prohibetur.

V I.

Filius fidei commisso gravatus & legitimam & trebellianicam simul detrahere potest.

V I I.

Si plurium judicum sententia numero pares fuerint dissonae pro libertate standum est aliis in causis pro Reo.



ROMANIA

... the author of the book, the
real author, the real author, the
real author, the real author,

THE ROMANIAN

... the author of the book, the
real author, the real author,

THE ROMANIAN

... the author of the book, the
real author, the real author,